



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1656.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Moguntino Joanne Philippo, Christianus Augustus Comes Palatinus Rheni, & Princeps Sulzbacensis.

ANNO 1656.

PRagæ inauguratus est solenni ritu & splendidissima pompa Rex Bohemorum Leopoldus Rex Hungariæ.

Romæ & Neapoli pestis peracerba sœvit, cui cum remedium terra non inveniret, cœlum attulit. Neapolis agnoscit & veneratur suum servatorem Franciscum Xavérium Indiarum Apostolorum.

Poloni hoc anno, novis licet cladibus affecti, instauratis tamen animis & viribus eâ vi & fortitudine in Suecos irruerunt, ut eos semel, iterum ac tertio profligârint, & cum Varsavia omnem prædam Poloniæ extortâ receperint; Moschis insuper & Cosakis ad æquas pacis conditiones adactis, recuperârunt Lithuania, Podolasiam, & Russiam rubram.

Iterum binis vicibus victa & profligata est classis Turcica à Venetis. Duplicis victoriæ præmium fuit capta Tenedos.

Pace firmata inter Anglos & Gallos, bellum erumpit inter Anglos & Hispanos. Unde Carolus Rex Britannia desertâ Francia secedit Bruxellas.

Par-

Parisiis apparatu spendidissimo excipiatur Regina Sueciæ.

Galli cum clade & jacturâ tormentorum repelluntur ab obsidione Valencenarum.

In Anglia exorta est secta Trementium (ab Anglis voce patria dicuntur Quacrii) quod inter orandum toto corpore contremiserent, eorum author Jacobus Naylos ex imperio Cromvelii captus, & exceptus verberibus jussus est exulare.

Defuncto Joanni Regi Lusitaniæ succedit ejus primogenitus Alphonsus IV, coronatus 15. Novembris.

A N N U S 1657.

Luctuosum hunc annum fecit Imperio & Domui Austriacæ Ferdinandus III. Imperator rebus humanis exemptus & cœlo transcriptus 2. April. Princeps pietate, re militari, prudentiâ & litteris, omnino præstantis ac insignis.

Veneti novâ potiuntur victoriâ aduersus Turcas ad Seston & Abydum (vulgò ad Dardanellas) quæ major fuisset, nisi stetisset Mocenico magnæ virtutis ac experientiæ Duce, qui cum multis nobilibus navis suæ accenso pulvere tormentario conflagrit.

1300A

Hispa-